Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Ferreolvs M. 18. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Visual Library

deſperabunt, carmen, jam tunc abſque doctore ſcitiſſimè modulabatur. Vatum etiam ſacrorum oracula fideique noſtræ volumina legebat & explicabat puella, ut ipſiſſimam ſeculi illius Sibyllam Bernardus laudaret, & in concilio Rhemenſi Eugenius PP. probaret. Cæterùm viſa cæleſtia montibus comitabatur ferè continuus, qui caſtigabat ſcilicet timidam, quoties prodere hominibus monita cælo data negligeret; fuitque, cum lecto affixam ita undique oppugnarunt dolores, ut cedere anima & velle deditionem facere jam jam videretur. Sed præſidio Angeli venerunt è Primipili Michaëlis cohorte, qui atros Genios undique morbos omnes in fugam egerunt. Dum porrò vixit, mira egit innumera, lynceoque vultu ipſius cordis latebras inſpexit, ſenſaque animi obtutu ſuo deprehendit. Funus illuſtravit iris gemina in cælo viſa, hanc lux coronabat lunæ circulum referens, quem itidem crux ornabat, multiplici mox incremento innumera. Id miraculum ſuper defunctæ domum deſcendit. Et aſcendere nos dubitamus tam familiariter invitati? *Ex Surio.*

Beatus qui puris cordis oculis Deum ſemper intuetur, quique bonis ac honeſtis colloquiis delectatur, & à pravis ac turpibus quæ bonos mores corrũpunt, abhorret; quoniam minimè fiet diaboli mancipium. S. Ephrem in Beatitud.

S. FERREOLVS M. 18. *Septembris.*

ANnum à Chriſti ortu tertium ſupra trecenteſimum victoriis ſuis nobilem fecit FERREOLVS, non tam militum quàm Martyrum antesignanus. Hoſtis, qui cum ei bellandum erat, atrox & verſipellis Criſpinus Procoſ: fuit, ut qui

modò

modò inſidias (blanditias) admovit, modò aperto Marte (tormentis) pugnavit. Vtraque vel eluſit prudenter vel vicit fortiter FERREOLVS. Et poterat facilè pacem cum hoſte componere, ſi vel ſemel ſacrificaſſet. Sed maluit ſuum ſanguinem Chriſto, quàm vel alienum Diis improbis litare. Et jam tota agmina carnificum vicerat, cùm ferro oneratus in carceres triumphans abiit. Inde ruptis cæleſti ope vinculis, per ſopitas cuſtodias & portas patentes ad Rhodanum evaſit, quem cùm Angelis ſuccollantibus tranſnataſſet, retractus à fugâ ultimam nobiliſſimamque pugnam edidit. Nam capite D. Iuliani Commilitis objecto, juſſus eſt aut ſuam mutare, aut ſimilem expectare ſententiam. Ille charum, caput amplexatus multúmque diſſuaviatus, ſanguinem ſanguini, caput capiti, tumulumque tumulo ſociavit. Hunc ajunt multis pòſt annis D. Mamerti operâ adapertum, FERREOLI, & in manibus FERREOLI, Iuliani caput utrumque integrum oſtendiſſe. Exemplo vel Græciâ Iudice ſupra omnes Pylades & Oreſtes amico. *Ex Surio & Pet. de Natal.*

Beata eſſet noſtra conditio, ſi æquè DEO *& hominibus vel diſplicere timeremus, vel curaremus placere: ſi tantum præcepta Chriſti, quantum populi ſibila vereremur; & ſi tanti laus quæ ex* DEO *eſt, quãti iſti de vulgo plauſus, emeretur.* S. Paulin. ep. 31.

S. IANVARIVS CVM SOC. MM.

19. Septembris.

Vidit IANVARIVS Beneventanus Pont. flammam cælo lapſam caput Soſii Diaconi lambere. Eo prodigio excitatus accurrit, Soſiumque oſculis & amplexu impeditum Martyrem ſalu-